Considerantes igitur omnia predicta digna fore, et rationi
consona ipsa rata habentes nostrum ad eadem omnia et
singula damus et prebemus consensum ac liberam
voluntatem, promittentes insuper omnia et singula
pro nobis et nostris successoribus prout superius sunt
expressa firmiter et inviolabiliter, in quantum in no-
bis est conservare et adimplere. Damus etiam predicto
domino Decano ipso vivente premissa efficere et implere
in toto aut in parte quando poterit, ad sue libite volun-
tatem, Ita tamen quod per suos Testamentarios predic-
tum Testamentum et restaurum totaliter ut premitti-
tur implebuntur et terminentur, Actum et datum
Anno dni. M°. ccc°. xciiij sexto die mensis July in
Capitulo nostro generali nostri Capituli, Sigillo maiori
sub appenso.

Confirmatio epi super eodem

Universis et singulis Christifidelibus presentibus et
futuris Johannes dei et apostolice sedis gratia Episcopus
Misnensis, ad rei memoriam sempiternam gratum deo
exhibere servitute arbitramur obsequium dum ad ea
beneficientia nostra manum porrigimus per quae salus
animarum acquiritur, ac cultus divini nominis ampliat[ur].
Sane honorabilis vir dominus Henricus Porschin decanus et Cano-
nicus ecclesie sancti Petri in Budissin nostrae diocesis bene-
ficiorum in eadem ecclesia Budissinen[si] perceptorum volens
pie et gratanter memorari pro salute animae suae et paren-
tum suorum salubriter terrena pro coelestibus, et transitoria
pro aeternis sperans in dno feliciter commutare, de bonis
sibi a deo collatis in dicta ecclesia pro omnipotentis dei gloria
et honore, et ad ipsius ecclesie specialem decorem, beneficium
ecclesiasticum videlicet vicariam perpetuam per temporalem
tamen vicarium possidendam et regendam in prefata ecclesia
erigere intendens, et instaurare decem et novem marcas
grossorum Pragen[sium] nu[meri] Polonicalis census annui in pecunia
et annona, pro centum et nonaginta marcis grossorum
monete pagamenti et nu[meri] predictorum iusto venditionis
et emptionis titulo in certis pagis et villis emit legit-
time et comparavit, prefatumque censum decem et no-
vem Marcarum pecuniam et annonam, quod perpetua
vicaria de novo in altari beati Nicolai epi et confessoris
dudum erecto et consecrato erigenda et fundanda de con-
sensu et voluntate prepositi et Capituli predictae ecclesiae,
donavit et libere assignavit, dictamque vicariam sti Nicolai
predictis annuis redditibus, censibus, et annonis fundavit
et erigi procuravit, certis tamen suis oneribus et modis.
Idem vero Decanus in fundatione et dotatione praedictae vicariae